



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CXXXIV. Benedictus V. Anno Christi 964. Ottonis 3. Nicephori Phocæ 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

receptus, quâdam nocte - - - in tempo-
ribus adeo à Diabolo percussus, ut intra
dierum octo spatium eodem sit vulnere
mortuus. Contrâ verò, ut scribit Ludovi-
cus Du Mesnil lib. 43. Doctrinæ & Discipli-
næ Ecclesiæ §. 5. Reginonis Continuator,
licet Joanni contrarius faveat Imperatori,
hanc ejus mortis circumstantiam ne qui-
dem insinuat.

Baronius ad an. 963. §. 3. monet aucto-
rem eum addictissimum Ottoni Impera-
tori, privato studio ea scripsisse in ipsius
gratiam, odium verò Joannis.

Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sæc. IX.
& X. cap. 1. art. 21. Ottonis Imperatoris
partibus, quem Sanctissimum semper vo-
cat, penitus devotum, & Leoni VIII,
Antipapa addictum auctorem illum cer-
tum est, ut non immeritò veniant in sus-
picionem plurima, qua de Joanne XII. &
infausto ejus obitu memorat.

CXXXIV.

BENEDICTUS V.

ANNO CHRISTI 964.

OTTONIS 3. NIGEPHORI
PHOCÆ 2.

Be-

BENEDICTUM V. cognomento
Grammaticum, Romanæ Ecclesiæ
 Diaconum, sinè Imperatoris con-
 sensu, contrà quàm juraverant paulò
 antè, Romani sublegerunt, circa
 diem decimum quintum mensis Maii.
 Quod ubi nuntiatum est Ottoni, Ro-
 mam cum exercitu perjurii ultor ac-
 cessit. Restitère illi aliquamdiu: victi
 deinde fame, Benedicto in potestatem
 Imperatoris tradito, Leonem
 VIII. cui ille impensè favebat, sus-
 ceperunt. Leo, coactò sine mora
 Concilio, (1) Pontificatum Benedic-
 to abrogavit: quem Otto secum in
 Germaniam abductum, Adalga-
 Hamburgensium Archi-Episcopo
 custodiendum tradidit. Illic magnus
 in honore ab Archi-Episcopo ha-
 bitus, mansit ad mortem usque. Est
 autem mortuus anno 965. quo pariter
 anno Leo VIII. Pontificatu suo
 usurpato, parùm diu potitus interit.
 (2)

ANNOTATIONES.

(1) Apud Gratianum dist. 63. cap. 23.
inconsiderate nimis ista tractantem, ait
 ait Baronius ad an. 963. §. 21. habetur con-
 venticuli hujus constitutio, seu decretum, quo
 Leo

Leo VIII. *ad exemplum B. Hadriani* concessisse dicitur Ottoni potestatem eligendi Romanum Pontificem, & concedendi Episcopis *investituras*. Hanc autem constitutionem subditivam esse perinde, atque illam, quâ idem jus Carolo Magno datum fertur ab Hadriano I, demonstrat Baronius tum ad annum memoratum, tum ad ann. 774. §. 15. Quem locum nos quoque, tanti viri vestigiis insistentes, differt. 9. persecuti sumus.

Ex non dissimili officina mendacii prodiit constitutio alia, quâ idem Leo VIII. profiteretur, se restituere Ottoni, ejusque successoribus quidquid Pippinus, & Carolus Magnus in Romanam Ecclesiam contulissent. Verissimè enim dictum, demonstratumque à Baronio ad an. 964. §. 26. illam *plures errores continere, quàm verba*. Id quod probavit etiam Gretserus in Apologia Baronii pag. 404. & Pagius ad an. 964. §. 7. Goldastus tom. 1. Constitutionum Imperialium pag. 222. eam recitat ex Theodorico Niemo, qui vixit circa annum 1410.

(2) Leo VIII. quamvis legitimus Pontifex nunquam fuerit, ideoque in Pontificum numero minimè habendus; antiquis tamen juxta, ac recentibus scriptoribus ordine *octavus* dicitur, & qui postea secutus est, Leo *nonus* omnium consensu appellatur. Vide Launojum lib. 4. epist. 1.

Sandini Vitz Pontif. Mm CXXXV.